



FRIDERICUS filius fuit Ludouici Barbatii Palatini electoris, qui Conciliij Constantiæsis à Sigismundo Cæsare protector ordinatus fuerat. Habebat is fratrem Ludouicum, qui ætate maior post patrem elector extitit. Cum autem Ludouicus esset mortuus, atque Philippum solum infantem reliquisset, Fridericus hic primò tutoris nomine Palatinatus gubernare cœpit. Postea autem Philippum ex fratre nepote adoptauit, atque consensu nobilium eius ditionis elector constitutus est. Erat enim corporis & animi uitæ conspicuus, atque eximia prudentia & fortitudine prædictus. Itaque finitimi principes foedere initio contra Fridericum cōspirarunt, atque Philippum

puerum principem postularunt. Sperabant enim se se suis rebus multo melius consulere posse, si puero & non magnanimo huic heroi electoralis dignitas cum Palatinatu cōmitteret. Principes illi erant Ludouicus Bipontinus, Theodoricus præsul Moguntinensis, marchio Badensis, comes Vuirtenbergen-sis, Georgius præsul Metensis, & episcopus Spirensis. Id cum Fridericus intellexisset, ne tot hostes uno tempore haberet, cum Theodoro Moguntinensi in gratiâ rediit. Cum autem cum reliquis conuenire non posset, ut pote qui nihil nisi armis spirarent, consiliarijs suis conuocatis ex eis quæsiuit, quæna ratione potissimum bellum illud inchoandū et perficiendū foret. illi deliberatiōe habita horum principis potentia ueriti, bellum disuadebat. Tum fortissimus princeps intulit: Non est quæstio an sit bellum gerendū, id enim iam apud me conclusum est: sed expectabā uel trā sententiā quomodo geri oporteat. Tum demum illi animo eius cognito quid fieri conueniret proposuerunt. Tandem uero ipsiis auditis suū consilium protulit, & certas causas coniunxit, cui etiam omnes facile accesserunt.